

27 15  
HISTORIA JESU TENTATI

MATTH. IV. 1—11. MARC. I. 12. 13. LCU. IV. 1.—13.

---

CUJUS PARTEM PRIMAM

CONS. AMPL. ORD. PHILOS. UPS.

PRÆSIDE

M<sup>AG.</sup> CHRISTOPH. DAHL

GRÆC. LITT. PROF. REG. ET ORD.

PRO GRADU PHILOSOPHICO

EXHIBET

SEBASTIAN S. SILVIUS

VESTROGOTHUS,

IN AUDIT. GUST. MAJ. d. XXVIII. MAJI MDCCC.

H. P. M. S.

---

UPSALIÆ,

LITTERIS JOH. FREDR. EDMAN, REG. ACAD. TYPOGR.

HISTORIA JESU TENTATI

MATTHEI V. — IN M. A. P. L. A. S. P. L. A. S. P. L. A. S.

CUJUS PARTES PRIMAM

COM. ANTI. OR. P. A. S. P. L. A. S.

PRÆSID.

M. A. CHRISTOPH. DAHL

Grav. Litt. Theol. P. A. S. P. L. A. S.

PRO GRADU THEOLOGICO

EXHIBIT

SEBASTIAN S. SILNIUS

Vestry...

IN AUDIT. GUST. MAJ. & XXV. MAJ. MAJ. MAJ.

L. R. M. S.

U P S A L I E

LITTERIS JOH. FERD. EPDMAN, REEL. ACADEM. TYROG.

I. N. J.

# HISTORIA JESU TENTATI

Matth. IV. 1 — II. Marc. I. 12. 13. Luc. IV. 1 — 13.

## §. I.

**H**istoria Jesu Tentati, ut vulgo accipitur, parum frugis, spinarum affatim habet; recte tradita tamen, nescio, quid sit humanæ, vel simplicius intelligentiæ, vel virtuti fructuosius argumentum. Interea nihil decernere, miror, optimates Interpretum: rem rati non nisi credendam, quam desperant percipiendam *a)*, unum Christianæ imperant pietati sacrum silentium: restat ancile fidei, satis imbelle, Pindaricum:

Εμοι δε, θαυμασια

Θεων τελευσαντων,

Ουδεν ποτε φαινεται εμμεν απιστον *b)*.

Moror enim non illos Recentiorum, quibus Jesum non nisi hominem, hominem Tentatorem, nihilque non perplacet, pro more suo, Divinum humanæ modulo experienciæ, tamquam uno, metiri. Sed dicam, quod res est: Jesum, id est, Deum tentatum, haut infitiamur, cogitantibus esse rem, si  
A quam

*a)* "Multa sunt, in hac narratione, obscura, quæ ad li-  
quidum perduci vix possunt". J. G. ROSENMÜLLERI  
*Scholia* in Matth. IV. 1.

*b)* Pyth. X. 76.



quam aliam, adeo singularem & alienam, ut in ea, ne miremur, optimos offendisse. Angunt enim, quæ sponte sua suboriuntur, duæ inprimis quæstiones, altera *Modum* ipsum, altera *Finem* exoptulans, quo fieri non absurde appareat potuisse, ut caderet in Deum tentatio. Neque enim illi, uti videntur, satis expediunt sese causa, qui eandem brevi præcidunt, docentes, a vano tentationis periculo, nihil prorsus sensisse, aut, quæ tua indoles esset, potuisse Jesum sentire: certamen vero tum ego nullum invenio, nullamque certaminis, apud Matthæum & Paulum c), vel necessitatem vel gloriam. Respondendum igitur illis existimemus, qui Jesum revera tentatum, ne dubitent, modum quærunt finemque, quo fieri possit, ut sibi persuadeant. Dei enim tentati, sanctissimi, sapientissimi Dei, quid eligat, bonum an malum, verum an falsum, quis homo est sanus, qui ferre possit cogitationem? ferre possit sperantis tentare Deum diaboli? Dei denique non credentis, quem nosset, diabolo, a victoria laudati, quis ferre? Ceterum, modo tentationis non finem apertiores: ut succumberet Jesus diabolo? at Dei succubitori spes nulla; hominis, nulla merces: dominum se Palæstinæ professi, manente vel Romanorum vel Herodiarum dominatu, quæ fides? patrati demum miraculi, sive lapidis abeuntis in panem, sive lapsus per præcipitia sospitis, ecqua noxa? nocitura, si cui, diaboli certe, non Jesu consilio, cetera. Hæc & his  
fimi-

c) Matth. IV. 1. Ebr. II. 10. 17. 18. IV. 15. V. 8. 9.

similia, sunt, qui adeo putant vere & graviter disputata, ut historiam Jesu tentati, inprimis Interpretum per amica silentia recentiorum, fabulam licentiores existiment, ænigma cordatiores. Quoniam vero, jactatis hujusmodi difficultatibus, magna sonare sibi videtur ingenium temporis, nec, ut vulgo traditur, hæc habet historia adeo plenam in omnibus & luculentam rationem, ut ne sit, quod mentes imperitiorum, sollicitè; eandem paullo diligentius enarrare conati sic, quantum per nos stetit, sumus, ut modo tentationis nihil dignius Deo, nihil homini beneficentius sine, vincamus, in exemplum, doceri.

§. II.

Jesus Christus, inter aquas lustrales, missa ex-litus voce, publice jussus ingredi munus illud verendum, quo generis humani foret Divinus vita & morte Redemptor, linquit Jordanem. Plenus his tantis tantoque constituri operis cogitationibus, dulcibus, diris, sed Spiritu plenus Sancto, accidit, inter eundum, ut in loca deserta se videat Jesus abreptum d).

A 2

Ingens


d) Πνευμα ἐκβαλλει: Mox a Jordane, Jesum in loca sola delatum, constanti testimonio, narrant Matth. IV. 1. Marc. I. 12. Luc. IV. 1. violentius vero actum ac ferme raptatum, ut sua svasit nonnullis vel superstitio vel linguæ ignorantia, non infert ἐκβαλλειν, Matth. IX. 25, 38. Nec πνευμα genium malum, dæmonem tentatorem, patitur h. l. intelligendum natura sub-jecti apud Lucam epitheri, αγιον: nec meram cogites, ut Johanni, Apoc. I. 10. XVII. 3. XXI. 10. mentem



Ingens undique solitudo: ambulat inter feras: ceterum, per omnem late viciniam, viva nulla natura, nullum humani pedis vestigium, cum venit, ecce, nunc obviam Ipsi viator, crederes hominem, lapsu viarum erraticum, profectum forte loca invisum priscis religionibus sancta, Judæum e). Noluit certe noscitari  
Jesu

emotam, mentique informatam deserti modo speciem & imaginem; sed *εν τω πνευματι*, vel, quod Matthæus habet, *υπο τη πνευματος*, virtute Divina, Matth. XII. 28. impetu mentis diviniore, Luc. II. 27. sacris in cogitationibus totum, existimemus Jesum, sive foruito, ut meditabundis sit, evagatum, sive, qui suus mos erat, consulto, Luc. V. 16. Matth. XIV. 13. piarum nutricem mentium, solitudinem, 1 Reg. XIX. 4. Luc. I. 8. revera fuisse ingressum.

e) *ερημων*: dissentiunt de loco Interpretes: *Quarantaniam*, novitium nomen ab ipso hoc dierum quadraginta (*quarante*) itinere, putant alii, horridam & infestam, ab Hierichunte, per montana Bethelis, Hierosolymas versus, tendentem, Luc. X. 30. Sed negat inter alios I. D. MICHAËLIS, *Anmerk. für Ungel. zu Matth. IV. 1.* neque enim tantæ viæ capacem, observat, neque, ut opus esset uno levandæ famis miraculo, satis a locis cultis habitatisque passim, Bethelle, Ephraimitide, Hierichunte, relictam & inhospitalem; mavult autem ille desertum Arabiæ Sinaiticum, itineribus Israëuitarum illustre: ad complementum veteris figuræ, GROTIUS ait, *Annot. in N. T. ad Matth. IV. 1.* Nos sumus Matthæum, enarranti proximum Jesu, temporisque plerumque Luca diligentiolem, secuti: seriem igitur tentationum, in deserto unigue primæ, alterius Hierosolymis, in monte autem tertie, ex



Jesu diabolus f). Ergo, ex societate periculi, simulans amicitiam, familiariter compellato se tradit commi-

A 3

Matthæo, edoctis, non potest quin sententia pro deserto *Arabico*, maxime sese prober. Scilicet ex Galilæa venisse Jesus Bethabaram, trans Jordanem, Joh. I. 28. nec iterum transmisisse fluvium legitur, mox in Judæam redux: a ripa igitur Jordanis ulteriore, veri simillimum est, viam perrexisse finitimam per desertam Arabiæ: inde, defunctum prima tentaminum machinatione, meridionalem Maris Mortui oram legendo, adscendisse citeriorem Judææ, proximoque Hierosolymis, postremo Quarantanæ demum periclitatum, revertisse, post tot rerum discrimina, denique Jesum, unde egressus esset, Bethabaram. S. ODMANN *Geogr. Handlex.* p. 207. Desertum Arabicum, supra quam dici possit, ENEMAN, Nostras, aliique restantur peregrinantium, vastum esse & sterile, nec nisi feris, ut Marcus ait, leonibus, viperis, vivum animatumque, ODM. l. c. sed insigne tot sacris Majorum vestigiis, locisque Judæo nomini memorabilibus, omni posteritati colendis, felix conjectura est MICHAELIS, petiturum diabolum prætendisse viatoris votivi religionem.

- f) *πειρασθῆναι ὑπο τῆς διαβολῆς*: ita tentatus, id est, ad peccandum sollicitatus, Jac. I. 13. 14. Jesus, ut quid patreret, quod se suoque non satis dignum esset officio, nemini non, ex ipsa vocis vi *πειρασθῆναι*, apparet; sed, a quamam *τῆς διαβολῆς* persona, cæptum est scrupulosius quæri. Excitatis ergo tum Veteris cum Novi Testamenti Scriptoribus, quibus *ἰω*, i. Chron. XXI. 1. *σατανᾶς*, Matth. XVI. 23. *διαβολος*, Joh. VI. 70. i. Tim. III. 11. idem ac ARISTOPHANI



mitem, & inter loquendum, ut fit, sciscitaturus, quis es.  
Fi.

*διαβολατατος*, non pro *dæmone* utique malo, malorum illo omnium auctore, sic locis aliis κατ' ἐξοχην dicto, videtur, sed pro astuto & improbo, quicumque fit, *homine* deceptore, cavillatore, vi verbi πω, adversari, *διαβαλλειν*, calumniari, decipere, frequentari; "equidem non dubito" inquit, l. c. ROSENMÜLLERUS, "nisi anilibus fabulis, de vi & potestate diaboli, in alias se formas mutandi, fidem adhiberi velimus, eum, qui Jesum sollicitavit, fuisse hominem sed hominem pessimum, callidissimum & versutissimum simulatorem". Idem sentire BAHRDTIUM, hujus loci Interpretem, in *Das Neue Testament, Berlin 1783.* p. 9. nihil est, quod mirere, cavillatoris hominis interpretatum præstigias, malevoli forte Pharisaëorum cujusdam, qui dignitatem Messiae, vel impotenti tentatam miraculo, vel turpi elusam facinore, vellet fabulam populo propinandam. Alii, ex antiquissima narrandi ratione, ferme poetica, nil vident, nisi per imagines personarum quoddam genus dicendi: ideoque τὸ διαβολὸς mali nullius, nec hominis nec genii cujusdam, fuisse, sed mentis per se deceptricis, Jac. I. 14. sensuum affectorum, Matth. XXVI. 39. ipsique subortarum Jesu, ut homini, licet breves nihilque profuturas, illecebras J. C. F. SCHULZ *Anmerk. üb. die Vier Evangel.* ad Luc VI. 5--12. J. G. EICHHORN *Allg. Biblioth. der Bibl. Litterat. T. III. P. 2. p. 287. fs.* Sed juvat medium tenuisse inter antiquam Polydæmonismi superstitionem, & Adæmonismi recentiorum: illam, noxiam certe doctrinam, viamque, sat expeditam hominibus, peccandi a reatu diaboli, quem arguant, excusatoribus scilicet; hanc vero, quidquid acquirere cæpit ætas citerior, frustra præstandam, nisi Philoſophiæ plus justo, justo minus Philologiæ tributum fit,



set, illum se videri professus Jesum agnoscere, quem Filium esse Dei audierat apud Jordanem, subdolis his & id genus aliis blandimentis capere Jesum, per iter quadraginta dierum aggreditur *g*). Totidem dies habuit nihil Jesus, quod ederet *h*): esuriente igitur

naturas potestatesque dæmonum altera non ideo negante, quod tacet, altera non unos Novi Testamenti locos præbente, qui diserte affirmant. Tentatorem vero, qui fuisse cumque existimetur, diabolum maxime, oportuisse se Jesum celare, res ipsa, necesse est, doceat: ignorasse ipse Jesus videtur, ex sententia MICHAËLIS & ROSENMÜLLERI, l. l. c. c.

*g*) καὶ ἦν ἐκεῖ ἐν τῇ ἐρημῷ ἡμέρας τεσσαράκοντα πειραζόμενος ὑπὸ τῆς σατανᾶ: Marcum, nescio quomodo, videatur MICHAËLIS l. c. intellexisse, qui viam in desertum, non in deserto mansionem, quadraginta dierum, fuisse existimat. Nos ex verbis conceptissimis credimus Jesum totidem dies, ipso in deserto, non modo versatum sed etiam tentatum fuisse: svadet vero tantum temporis spatium vicem tentationis non unam: neque enim impedit, quod, præter unius, enarravisse Jesus non legitur, modum.

*b*) ἡσυχίας, Recentioribus, ab Exod. XXXIV. 28. Deut. IX. 9. 18. 1 Reg. XIX. 6 — 8. non, ex communi hætenus sententia, qui jejunus cibo omni potuque abstinerit, dici, sed qui panibus tantum, suetoque dapium apparatu caruerit, jam cœpit. D. THADDEUS *Verjuchungsgeschichte Christi, Bonne 1789. SCHULZ. l. c. ad h. l.* Scilicet sunt, qui, ut nihil sit, quod offendar, victitasse rebus aliis Jesum, herbis, radicibus, melle silvestri, cet. velint. Quæ si notio fuerit verbi ἡσυχίαν, quod equidem, certe ex laudatis Veteris Testamenti



igitur Ipso, hic sibi ratus, quod e re sua erat, revera esset Deus an homo, experimento miraculi, explorandi idoneam occasionem nancisci. Te, inquit, Filium utique *i*) Dei, quid est, quod oporteat premi fame? ipsi erunt lapides hi, verbum modo feceris, panes. Nihil erat, quod aut videri innocentius posset, aut insidiosius dici *k*): sed fraudem sensit Jesus & retulit: Absit! est enim scriptum *l*): Pane vivit ho-

locis, non satis perceperim, nescio tamen; quomodo verba Lucæ diserta *en εφασκεν εδεν*, verti queant, vescebatur radicibus, cet. Malint saltem, qui nihil mirabilius velint, Physiologos audire: neque enim exempla ferme domestica corporis humani desuisse meminimus, eo, inter magnas affectuum concertationes, alienati, ut patiens fuerit diuturnioris inediae.

*i*) *ei*, dubitantis aut minaciter provocantis, ut vulgo vertitur, *si*, natura non patitur orationis utique lenocinantis, ut cogitemus; est ex astutia concedentis, affirmantisque, ut locis aliis, *siquidem*, quoniam, quum, Matth. XXII. 45: Job. VIII. 46. XIII. 14. 17. XV. 20. Act. IV. 9. Rom. VIII. 31. Satis inepte suam acturus fabulam fuisset Diabolus, si præstitisset se adversarium Jesu: Jesum superbius allocuto, qua ex spe, crederet, aut obligatione, morem gesturum sibi?

*k*) *Innocentius* enim, in præsentis vitæ periculo, quid cupidine panis, aut, ubi jam ante Deus tot millia hominum sustentasse miraculo per XL. annos ferme quotidiano est visus, in eodem forte deserto, quid esset, servato uno aut altero, per miraculum, nefas?

*l*) Deuter. VIII. 3.